

sponsis JCtorum recederent, et si Augu-
sti Principatum stabiliverit, maximum
tamen dampnum dedit jurisprudentiae.

34. Effecit enim ista potestas respon-
dendi per beneficium indulta sectas. Se-
ctæ incertitudinem juris auxerunt. Huic
incertitudini, & his dissensionibus non
in tempore obviam iverunt Impera-
tores.

35. Qvin potius hæ sectæ maximè sub
Imperatoribus florere & augmenta ca-
pere cœperunt. Uti enim ipsorum JCto-
rum ordinem & successionem post Eber-
linum t) in summa exhibuit Jacobus
Gothofredus, u) ita sub Augusto Anti-
stius Labeo & Attejus Capeto (ille vir
incorruptæ libertatis, ac præter juris stu-
dium reliqvarum bonarum artium haud
expers, propriumqve ingenium ad deci-
endas juris controversias afferens, ne-
que cæca seqvela aliorum tradita appro-
bans ; hic vero divini humaniqve ju-
ris peritissimus, coeterum tamen nimius
Augusti Adulator, & promiscua tradi-
torum custodia magis ingenio alieno
sapiensquam suo) potissima capita secta-
rum

t) de O. I.c. 34. seq. u) Mon. jur. e. 7.